


4/97

IDIBVS NOVEMBRI
MCMXCVII



RVMOR VARIVS



TOMVS 20

FASC. 120

IMPRESSUM

RVMOR VARIVS a SOCIETATE LATINA TURICENSI, in aedibus, quibus nomen aeschlimann publicity est, editur.

RVMOR VARIVS sexies in singulos annos editur.

Editio: CCCXXX

Pretium subnotationis (annuum):

In Helvetia	sFr.	24.--
In Germania	DM	39.--
In Austria	öS	276.--
In ceteris Europae terris	sFr.	36.--
In terris trans maria sitis	US\$	29.--

Singula specimina qui rogaverit, gratis accipiet.

Collegium redactorum:

Udalricus Aeschlimann lic.phil.
Dr.phil. Emanuel Bernard
Dr.med. W.F. Ebel (AMICUS)
Barbara Maier
Martin Meier
Daniel Weissmann

Impressum et dispositionem rerum legentibus publicandarum curat:

Christina Meier-Portner

Typographeum:
Copy Quick, Saloduri

Epistulae, mandata mittenda sunt ad domum editoriam

RVMOR VARIVS
c/o aeschlimann publicity
Stadthausstrasse 65
CH - 8400 Winterthur

Institutum pecuniarium:
Schweizerischer Bankverein
Zürich-Oerlikon
RVMOR VARIVS P7-642.719.0

IMPRESSUM

RVMOR VARIVS wird von der SOCIETAS LATINA TURICENSIS bei aeschlimann publicity herausgegeben.

RVMOR VARIVS erscheint 6 mal jährlich.

Auflage: 330

Abonnementspreis (jährlich):

Schweiz	sFr.	24.--
Deutschland	DM	39.--
Österreich	öS	276.--
Übriges Europa	sFr.	36.--
Übersee	US\$	29.--

Einzelne Probenummern sind gratis erhältlich.

Redaktionsteam:

Ulrich Aeschlimann lic.phil.
Dr.phil. Emanuel Bernard
Dr.med. W.F. Ebel (AMICUS)
Barbara Maier
Martin Meier
Daniel Weissmann

Grafik und Layout:

Christine Meier-Portner

Druck:
Copy Quick, Solothurn

Verlagsadresse:

RVMOR VARIVS
c/o aeschlimann publicity
Stadthausstrasse 65
CH - 8400 Winterthur

Bankverbindung:
Schweizerischer Bankverein
Zürich-Oerlikon
RVMOR VARIVS P7-642.719.0

PRÆFATIO

Amicae et amici nostri!

Autumno progrediente, cum dies sole tardius oriente et prius occidente breviores fiunt, saepe nebulae ex fluviis ascendentes vel a montibus descendentes omnia velant, arborum folia decidunt, diebus primo et secundo mensis Novembris nostra regione homines festum omnium sanctorum et commemorationem animarum agunt. In coemeteria eunt et ibi candelas in sepulcris accendentes mortuorum meminerunt.

Longe aliter hic dies festus in Mexico celebratur: Ibi homines in coemeteria conveniunt et una cum manibus mortuorum festum magnificum agunt. Credunt enim manes mortuorum post mortem in montibus longinquis versari et quoque anno die omnium sanctorum reverti et vivos visitare. Homines valde gaudentes, quod manes eos visitant, panes dulces coquunt, calvas mortuorum saccharo et sceletos vel plasticos vel in charta densata consistentes conficiunt, epulas magnificas velut illas tortas, quae Hispanice 'tortillas' dicuntur, placentas maydis, pullos assarios in embammate piperis viridi, oryzam, crustula, mala, mandarinas, bananas parant, et inter sepulcra floribus coloribus lucentibus ornata festum laetum agunt. Dies illa festi catholici quidem est, sed mos ille a maioribus Aztekis, indigenis Mexici, ortus est. Qui mos imprimis in regionibus Mexici medii et meridionalis-occidentalis colitur, ubi magna pars incolarum ab indigenis indianis orta est.

Ad aditus coemeteriorum in tabernis potus et cibi offeruntur, musica ex casetophonis sonat, coemeteria partim horti florum partim mercatus varii esse videntur. Sed etiam in viis vicorum festum agitur. Ibi pyroboli chartacei crepant, qui et mortuis et vivis gaudio et delectationi esse dicuntur. Si homines illius diei obliviscerentur, manes mortuorum in somno apparerent et vivos admonerent - ut creditur.

Videamus, quomodo Ana María, mulier ex vico nomine Tecomitl, illum diem agat. In coemeterio sepulcrum mariti, Enrique, ornavit. Ille ex nonnullis annis mortuus nunc sceletus est, 'una calavera', ut Mexicani dicunt. Die omnium sanctorum post meridiem Ana María et soror eius primum

precantur, cum manes mortuorum, postquam animae liberorum iam ad-
sunt, adveniunt. Tum manes mortuorum ad aram domesticam salutantur.
Illa est eodem modo ac postridie sepulcra in coemeteriis exornata cibus,
quos defuncti maxime diligebant, dum vita manebat. Ana María narrat:
"Avos, avias, parentes, amicos - omnes precibus 'Padre nuestro' et 'Ave
Maria' salutantur." Ana María omnes animas diligenter cognoscit. "Etiam
illas animas, quae nusquam reverti possunt, salutamus", dicit. Aliis quo-
que diebus sepulcrum mariti Enrique visitat, sed eo die tantum cum eo
colloqui potest: Qui ei consilia dat, si dolore vel maerore vexatur, et eam
adiuvat in liberis educandis. "Anima eius non mortua est", ait, "Mihi
consulit et videt, ut bene valeam."

Nocte diei primi ad diem secundum mensis Novembris tota familia ante
domum sedet. Ignis ardet. In aliis vicis familiae mortuorum hanc noctem
in coemeteriis agunt. Dum Ana María cum familia foris sedet, intra manes
mensa dapifera fruuntur. Sub mediam noctem, cum frigus augetur,
domum intrant. Non incommodum est, si manes cenam nondum
finiverunt. Familia Enrici (Enrique) imaginari non potest reditus mor-
tuorum non celebrare. "Id esset velut si visitantes venissent et nos illis ne
potum quidem offerremus," Ana María et familia eius dicunt. Gaudent,
quod manes adsunt: "Domus plena gaudii et vitae est". Cum familia illis
diebus convenit, manes quoque adsunt. "Nos omnes una adsumus, et
vivi et mortui" Ana María laeta dixit.

Cum mortui ad montes reverterunt, vivi cibos comedunt. Mortui tantum
energiam ex illis sumpsisse Ana María explicat. Id eo cognosci posse
poma et mel et omnia nullum iam saporem habere.

Opinio reditus mortuorum in Mexico antiquitus insita est. Sed is mos
modo vivendi nostra aetate non iam semper conservatur. Die secundo
mensis Novembris Mexicani in coemeteria quidem eunt, sed non omnes
donis sacrificialibus manes iam die anteriore exspectant. Sed Mexicani ab
illis, quorum meminerunt, orti sunt, illi radices verae eorum sunt. Hector,
amicus familiae Ana Mariae, dicit: "Credo in reditum mortuorum. Forsi-
tan revera nos visitant, etiamsi difficile est, id intellegere."

De Mexicanorum conexu cum morte scriptor Mexicanus Octavio Paz libro
suo titulo 'Labyrinthus solitudinis' scripsit Mexicanos neque vitae neque
morti totaliter se dedere. "Ea vera sunt" Hector dicit. "Si mortui apud nos
sunt, nescimus, utrum nos ipsi mortui an vivi simus. Consuevimus vivi
mortem iam ante oculos habere. Et, cum morimur, scimus nos paululum
vivos mansuros, quia ad familias nostras revertimur."

Valde placet mores et consuetudines aliorum populorum a nostris diver-
sas cognoscere. Ita humanitas, sapientia, omnium rerum scientiae nostrae
augeantur!

Valete!



Daniel Weissmann



Sententiae Hispanicae

Ecce sententiae poetarum, scriptorum, philosophorum, artificum His-
panicorum in Latinum versae!

Los valores morales se pierden sepultados por los económicos.

*José Luis Aranguren (*1909)*

Morales virtutes perduntur sepultae virtutibus oeconomicis.

*

*En la vida humana sólo unos pocos sueños se cumplen, la gran mayoría
se roncan.*

Enrique Jardiel Poncela (1901-1952)

In vita humana pauca tantum somnia revera perficiuntur, pleraque
in somno fiunt.

*

*Es curioso ver cómo a medida que las libertades teóricas aumentan, las
libertades prácticas disminuyen.*

*Luis Antonio de Villena (*1951)*

Res mira est cognoscere quanto libertates in theoria augeri tanto
libertates in usu minui.

*

La belleza que atrae rara vez coincide con la belleza que enamora.

José Ortega y Gasset (1883-1955)

Illa pulchritudo, quae allicit, raro pulchritudini, quae amorem efficit, consentit.

*

El amor nace del recuerdo, vive de la inteligencia y muere por olvido.

Raimon Llull (1232-1315)

Amor recordatione nascitur, intellegentia vivit, oblivione moritur.

*

El gran enemigo de la democracia es la militarización del pensamiento político.

*Fernando Morán (*1926)*

Magnus inimicus democratiae est cogitationis politicae dominatio rebus militaribus.

Los actores no nos metemos en la piel del personaje, sino que metemos el personaje en nosotros.

*Imanol Arias (*1956), actor*

Actores qui sumus non cutem personae induimus, sed personam tota mente nostra concipimus.

*

No hay envidia, si es muy desigual la competencia.

Diego de Saavedra Fajardo (1584-1648)

Non nascitur invidia, si potestas valde dissimilis est.

*

Es detestable esa avaritia espiritual, que tienen los que, sabiendo algo, no procuran la transmisión de esos conocimientos.

Miguel de Unamuno (1864-1936)

Destestabilis est avaritia animi illorum, qui aliquid scientes non simul opera dant eas scientias communicare.

*

En realidad los seguros de vida son seguros de muerte.

Ramón Gómez de la Serna (1888-1963)

Revera assecurationes vitae assecurationes mortis sunt.

*

La democracia, como la aristocracia, como todas las instituciones sociales, llama calumnias a las verdades que le dicen sus enemigos y justicia a las lisonjas de sus parciales.

Concepción Arenal (1823-1893)

Et democratia et aristocratia et omnes institutiones ad societatem humanam pertinentes res veras, quas inimici eis dicunt, calumnias et blanditias, quas assectatores eis dicunt, iustitiam nominant.

*

El objetivo final del arte es mostrar los tejidos internos del alma.

Manuel Viola (1917-1987), pictor

Artis summus finis est texta interiora animae monstrare.

In Latinum vertit Daniel Weissmann



De vico sub aqua sito

Temporibus neolithicis homines in regionibus compluribus Helvetiae hodiernae sedes suas habebant, agros colebant, silvae feras venabantur, vasa ex argilia et securium acies e lapidibus fabricabant. Nunc vero tempora illa renascuntur, nam permultae res ex aetate neolithica provenientes in lacu Tugiensi, (qui nostra aetate atque lingua 'Zugersee' dicitur), repe-

riuntur. In ripis lacus prope vicum nomine 'Cham' circiter sex milibus



Reliquiae vici neolithici

annis ante vicus neolithicus, qui verisimile a quinquaginta vel sexaginta incolis habitabatur, situs erat. Iam centum quinquaginta sudes e ligno factae litteris mandatae sunt. Vicus ille ab iis, qui in antiquitatis studiis versantur, in numero sedum maxime antiquarum

terrae Helveticae habetur. Agricolae non in aqua, sed in loco aequo prope ripam domicilia habebant. Res ab urinatoribus inventae saepe laesae sunt, nam agricultura, navigia, mutationes soli monumentis his nocuerunt. Festinandum igitur est. Urinatores iterum iterumque vasorum testas, securium partes, instrumenta ex ossibus facta, ossa domestici pecoris ferarumque e lacu promunt. Aedificia neolithica in ripis lacus sita sane patrimonium maximi valoris sunt.



Barbara Maier

De Bonifatio apostolo

Bonifatius, vir Britannus, exitio saeculi septimi in regione nomine 'Devonshire' vitam egit. In monasterio educatus Germanos baptizare in animo habebat. Primo apud Frisios fidem Christianam praedicavit. Sed nihil effecit. Deinde Romam iter fecit, ut mandatu papae Gregorii Secundi opus persequeretur. Unus e comitibus Bonifatii nomine Willibaldus vitam sancti redegit. Narrat fere hoc:

"Iam multi Hessorum (1) manus impositionem acceperant. Sed alii fidem Christianam accipere nolebant, alii lignis et fontibus clam, alii aperte sacrificabant. Alii divinationem occulte, alii manifeste exercebant. Quorum consilio quercum quandam mirae magnitudinis, quae Iovis (2) sacra erat,

in vico, qui dicitur Gaesmere (Geismar) Bonifatius caedere conatus erat. Magnus erat numerus paganorum, qui inimicum deorum devovebant. Sed quercus paululum praecisa confestim corruit. Quo aspectu compulsi pagani Deum Christianorum laudaverunt. Bonifatius autem arboris materia templum Christianum construxit, quod in honorem sancti Petri apostoli dedicavit."

(secundum Willibaldum Episcopum: Vita Sancti Bonifatii)

- 1) Hessi: Hessen
- 2) Iuppiter: apud Germanos Donar deus

Barbara Maier



ERRATA

in Rumoris Varii fasciculo	in pagina	falso impressum est	forma recta imprimi debuit
2/97	38, lin. 6 29 30 40, lin. 6 10 13 41, lin. 32 42, lin. 12 27	oportet autochthones artificiosas venosis angor cnodace infantem sibi caelstia	oportet autochtones artificiosas venenosis timor obturamento infans se caelestia

Nicolaus Gross certiores nos fecit

In libello 3/97, pagina 53, linea 9 (Proverbia Hispanica) proverbium Hispanicum hoc deest:

ó El que no duda no sabe cosa alguna.

Ille, qui non dubitat, non quicquam scit.

Tertio adventante millennio

Aevo fugaci terminus
praedestinatus ocius
nos imparatos opprimet
in neglegentiam abditos.

Priora saecla spemimus
novis superbi moribus;
egere amoris nuntio
Christi negamus aemuli.

Tristi gravitate pondere
sperare iam desivimus;
mundi senectus algida
cordis repellit impetus.

Res cuique displicent suae,
mutare quisque concupit
sortem beatam ceteris,
morbo laborans invido.

Moderna monstra mentium
acrem vigorem comprimunt;
optare plura discimus,
nil esse remur affatim.

Doctrina tanto frigida
videtur impar muneri;
nodis solutis, altera
mox quaestio resumitur.

Finem propinquum temporum,
Christi triumphum fulgidum,
adesse tum putaverant
pii fideles candidi.

Inepta tamquam fabula
ridetur ista opinio,
qua tunc avi millennii
primi pavebant exitum.

Nos stultiores credimus
aeternitate commodis
frui licere inanibus,
quibus carere nolumus.

Errore pravo liberet
divina lux et veritas
vanos homullos fumida
obscuritate devios.
Spirare perge, Spiritus
patrone Sancte gentium;
peccata nostra dilue,
infunde vim labantibus.

Tu, Trinitatis tertia
persone, adesto debili
semper gregi mortalium,
monstrans sequendam semitam.

Hoc maxime nos fallimur,
quod Te magistrum agnoscere
non sustinemus frivoli,
sat esse nostra creduli.

Et nos timore vincias,
fac cogitemus imminens
fatum ruinae nescio
Hevae pusillo semini.

Fidem redona incredulis,
vim redde lasso pectori,
iam caritatis languidam
diu favillam exsuscita.

VERBA DECUSSATA

1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15
16				17			18				19			20
21		22				23			24	25			26	27
28		29			30		31						32	
33		34	35		36			37	38		39			40
41	42					43	44			45	46	47	48	
49	50			51			52			53				54
55		56				57		58	59			60		
61					62		63	64						65
66	67				68		69		70	71		72		73
74			75				76	77		78	79	80	81	
82		83		84							85	86	87	
88						89	90				91			
92			93		94					95				96
97		98		99					100	101				102

Areae numeris instructae tibi litteras ostendunt ad sententiam infra restituendam

42	78	96	8	92	36	47	25	87	30	74	71	60	54	75	3	56
95	13	10	38	3	31	32	72	76	12	32	85	63	37	83	89	

Ad libram

1 nobis panem quotidianum; praepositio retroversa. 3 quae revocatas herbas ruminant. 9 sorbitio hordeacea. 16 carnea eius valde amat Obelix. 17 nutrix Jovis, Amalthea nomine. 18 vas vinarium. 19 caupona. 21 pater patriae. 22 Romuli Remique nutrix. 23 in convivio Alexander, velut patienter audiret, quis Clitus obterebat laudes eius, ingentem conceperat. 25 Syriaca arbuscula (APIC. 10, 463); coriarius frutex. 27 principalis littera animalis, quorum femora optime sapiunt; conspexit bovem et, tacta invidia tantae magnitudinis, rugosam inflavit pellem. 28 (retroversum) in vino. 31 hoc modo Silius Italicus in Neapolitano suo vitam finisse dicitur. 32 iterata: vos vorat voluptas. 33 immunis; retroversum adiectivum possessivum vel pronomen. 34 mella sine fumo collecta. 37 boletorum avidissimi imperatoris pater, praenomine mox Nero olim ... 38 qui e nucle nucleum esse vult, eam frangit. 40 principalis littera herbae inter legumina aut frumenta numeratae. Quam quidem putant cepisse nomen a maxima numerorum summa, quae est ... 41 grana, cuius nomen non solum genus leguminis designat sed et videtur origo esse cognominis apud Corneliā gentem usitatum. 43 muri simile animal, quod fuit in deliciis cenarum. 45 cicar cognomine. 46 ad frumenta in farinam redigenda. 49 haud nullus. 50 incipientes quinque sine fructu praecedunt litteram principalem, qua incipit nomen terrae Graecae propter

mel, cicutam, sermonem, noctes et amicū Ciceronis quendam notissimae. 52 Euclio in Aulularia. 54 coniunctio; pronomen retroversum. 55 senatus consultum. 56 nolit sibi fingere Cicero eos, qui in mensam vomant, et qui de conviviis auferantur crudique postridie se rursus ingurgitent, qui solem, ut aiunt, nec occidentem umquam viderint nec orientem, qui consumptis patrimoniis egeant. 58 adiectivum possessivum. 60 coniunctio retroversa. 61 coquinarium vel potorium; apud christianos in eucharistiis usurpatur; etiam modulus aeneus in aquaeductibus. 62 in praetorio, cui Speluncae nomen est, incenante eo complura et ingentia saxa fortuito superne delapsa sunt, multisque convivarum elisis praeter spem evasit. 63 genus quoddam condimenti ex fractis olivis constantis. 66 littera salutaris. 67 (retroversum) si interiectio in fine additur, summa in ovo continetur; (retroversum) index. 69 littera duplicata: lapidi Pario similis candore et duritia, minus tamen ponderosus, qui holeris genus designat si littera una duplicatur. 70 corpus pedibus promove! 71 interiectio, qua stupor, gaudium vel ira exprimuntur. 72 edis. 73 praepositio. 74 (retroversum) abunde. 75 quod Promethei optimum aquilam farcit. 77 roscidus humor; marinus vel maris dicitur si aromatica herba; etiam libanotis vel aposplenos vocatus. 79 de potione, qua Britannicus hausta periit, ille quoque iuxta cubans gustasse creditur (praenomen eius). 80 Graeca praepositio retroversa, qua incipitur ciborum regula. 82 (retroversum) inter cutem ossaque. 84 homo ineptus; nomen fructus. 87 coniunctio retroversa. 88 lex, quae in Graecorum conviviis obtinetur "aut ..., aut abeat." 89 cervisia Dalmatica. 91 vicesima luna. 92 animalia sunt et non sunt: non sunt quidem animalia actu, sed sunt animalia potestate. 93 avis vel piscis; rapax; dives erat latifundiis Curibus, quantum non iste oberat: inde proverbialiter "arare, quantum non iste oberet." 95 libum. 97 artocreatis extremae partes; unitas. 98 qui a Pompeio Magno togatus vacatur, domi cenat. 100 ante mundum conditum. 102 ad ius medullosum parandum; utile ad bibendum vel edendum.

Ad perpendicularium

1 profusus, largus; qui satis erogat ad escas. 2 (sursum) manutergium in usu convivantium. 3 coniunctio. 4 (deorsum) agri; (sursum) mons propter caseum notus, inter Sequanos et Helvetios situs. 5 lac ad haedinum coagulum conficiendum praebet. 6 in ea maris Aegaei insula fontem esse, quo hebetes fiant bibentium sensus Varro tradit. 7 arvina, adeps suillus. 8 nimio potu vini obruta. 9 inter ientaculum et cenam. 10 (sursum) Inachis iuventa facta; exclamatio invocantis sursum versa. 11 strabones, qui holera spectant, id tollunt; succidia porcina. 12 mensura quaedam tritici. 13 hoc modo dicuntur tabernae, quarum tecta ad gladiatorum munera in foro spectanda Romae adhibita sunt. 14 tribunicia potestate. 15 ab actu vel ab avium gestu gustuve vocatus. 20 condimenta. 24 secunda dicitur si ad bellaria pertinet. 26 (sursum) caseum rodit. 29 mento summam aquam attingens enectus siti. 30 praepositio. 35 a mathematico Alexandrino nominata machina, quae in altitudinem aquam educit. 36 si phoenicopterorum linguae a Romanis cibi deliciares habebantur, is tamen ad dictata verba proferenda lingua sua utitur. 39 littera tristis. 42 puer murenis obici iussus, ut aliter periret, petivit, ne fieret; cibus, quo bestiae ab hominibus capiendae alliciuntur. 44 respicitur tam sucus aromaticus quam ipsa herba; nomen silphii. 46 (sursum) herba aromatica. 47 pro cibo in vivarium alitur; margaritifera. 48 sales. 51 dimidia pars muliebris cognominis, quo Oxyartis filia vocatur. Quam introductam inter convivales ludos matrimonio sibi adiunxit rex Asiae Europaeque. 53 herba acerba. 57 (sursum) qui cura macet vel populo praenuntiat. 59 interiectio: dolorem et lamentationem, timorem et terrorem, indignationem stuporemque significat. 61 qui brassicae miras canit laudes; acuto. 64 genus quoddam otorum Capponi; mala Fortuna in locutione proverbiali: pilare malas ... 65 copia nulla famem relevat: sitis arida guttur urit et invisio meritis torquetur ab auro. Nempe quidquid corpore contingit in aurum vertitur. 67 castellum haud longe a flumine Muluccha propter cochleas cepit. 68 cubilia epulantium. 71 pronomen. 76 Idaeum frugum. 78 insula prope litus, cuius nomen non semel cum rapistri genere commixtum est. 81 genus scyzini: solutio obtinetur si littera "L" una sublata nomen dulcis ab apibus confecti liquoris eraditur. 83 mensa pretiosa ad cenas lautas adhibita. 85 inexpertus, alumnus; imperitus. 86 purgamentum frumenti vel piscis belone. 88 serpens enormis ita vocatus, quod bovem glutiat. 90 animal volatile (abl.); salutatio; (sursum) femina prima. 93 pronomen; interiectio sursum versa. 94 librorum summa quae leges si sexies totum Apicii opus de re coquinarie legeris. 96 Pompeius Magnus et Iulius Frontinus. 99 duas continet coriandrum, cuminum nullam. 100 quattuor unciae et quattuor scripula sunt scripula ... 101 habent in commune concha et her.

ARANEA NIGRA

fabula a Ieremia Gotthelf poeta Helvetico scripta

(Die Schwarze Spinne, ed. a. 1842)

Pars tertia:

Mulier iuvenis, quae illa nocte funesta, qua Christina de viro viridi retulerat, timida fleverat causae nescia, nunc erat paritura proximum infantem. Illis, quae prius facta erant, ei neque animus neque confidentia allata est, cor eius cruciabatur angore ineffabili, quem neque orando neque confitendo abstergere poterat. Haec mulier sibi circumdata esse videbatur silentio suspicioso, nemo iam loquebatur de aranea, suspiciosi ei videbantur omnes oculi in se defixi eorum, qui computarent horam, qua infantis sui potirentur, ut diabolus sibi reconciliarent.

Sibi videbatur desolata et deserta esse coram funesta potestate, qua circumdata erat; a nemine adiuta est nisi a socru, pia muliere, quae stetit secum, sed quid ancilla valet contra multitudinem hominum efferatam? Iuveni mulieri erat maritus, qui omnia bona bene promiserat; at, en, eum de bobus suis lamentantem, parum memorem miserae uxoris sollicitantis! Sacerdotem promisisse se venturum esse, quam celerrime, quam maturime si advocaretur, sed quid fieri posse ab eo misso usque ad eum venientem; miserae autem mulieri nullus fuit nuntius nisi maritus proprius, qui oportuit sibi esset praesidio et custodiae, eademque muliercula misera insuper una cum Christina in eadem domo habitavit, earumque mariti erant fratres, neque mulierculae erant cognati, nam in domum venerat orbata!

Facile fingas, quanto angore animi vexata sit misera mulier, quae nemini nisi piae socru, quacum orabat, habuit fidem, quae, ubi inspexit oculos malos, statim minuta est.

Interim morbus adhuc versabatur, ne terror finiretur. Rarius quidem, hic et illic, bos cadebat, aranae apparebant. At ubi alicuius terror remissus est, ubi aliquis cogitavit aut dixit id malum per se deminutum iri et sane cavendum esse, ne peccaretur in infantem, exardescebant dolores Christinae infernales, aranea in altum inflabatur, ut ei, qui talia cogitaverat aut dixerat, mors novo impetu furoris saeviret in gregem. Ita, quo propior erat hora expectata, eo magis videbatur calamitas augeri, ut cognoscerent sibi esse certo constituendum, quomodo secure et com-

mode infantis potirentur. Maxime timuerunt maritum, taeduit ei vim afferre. Tum Christina studuit ei persuadere, quod contigit. Assensus est se nolle rem nosse, velle uxori morigerari, sacerdotem arcessere, sed non properare neque, quid fieret se absente, se interrogare; sic conscientiae satisfacit, Deo autem missis sacris voluit satisfacere et pro anima miseri infantis fortasse etiam aliquid posse fieri, fortasse eam ope pii sacerdotis posse redimi a diabolo, ut ipsi huius negotii non iam essent particeps, debitis solutis, diabolo tamen emuncto.

Sic maritus cogitavit, quomodocumque res eventura esset, se, nisi in hac re ageret manibus propriis, nullam culpam contracturum esse.

Sic misera muliercula vendita erat inscia timide sperans salutem; consilio hominum quidem decretum erat, ut cor eius percuteretur; sed quid decessisset ille sublimis et supremus, hoc adhuc tectum erat nubibus futura praecludentibus.

Fuit annus nubilosus atque tempestuosus; messe incohata omnes vires contendebantur, ut frumentum horis serenis ferretur sub tectum securum. Post meridiem tempestas venerat fervida, nubes capita nigra arrigebant super montes obscuros, hirundines anxie tectum circumvolitabant, miserrima autem muliercula sola domi versans valde angebatur atque sollicitabatur; nam ipsa avia foris erat in agro, ut ceteros adiuvaret magis voluntate quam viribus. Tum bis dolore percussa sunt mulierculae ossa et medulla, oculi caligaverunt, sola erat sentiens horam appropinquantem.

Angore domo expulsata gravibus pedibus agrum aggressa mox non potuit, quin humum se demitteret; volebat vocem procul emittere, sed eadem non venit ex anxio pectore. Apud mulierculam erat pupillus, qui modo demum discebat pediculis uti, qui numquam in agro versatus erat propriis pedibus, sed semper brachiis matris impositus. Hic pupillus ut nuntius adhibendus fuit a misera muliere nescia, num ille agrum inventurus sit, num pediculis usque eo ferri posset. Sed pupillus fidelis, cum vidisset, quanto angore mater vexaretur, cursabat et cadebat et resurgebat, catta eius cuniculum persequente, columbis et gallinis eius pedes circumcursantibus, agno eius petulco ludente et saliente et se sequente, sed pupillus his omnibus non respectis sine mora fideliter attulit nuntium sibi mandatum.

Avia anhelans advenit, sed maritus cessabat; adhuc feni vehem esse exonerandam. Perlongo tempore transacto tandem maritus profectus est, iterumque tempore perlongo transacto lente viam ingressus est, et misera mulier metu mortis affecta sensit horam suam magis magisque appropinquare.

At Christina omnibus, quae foris in agro viderat, gaudio effusa erat. Cum graviter laboraret et sol vehementer arderet, aranea fere non iam arsit, ut Christinae res levis esse videretur. Laete laborem exanclavit neque festinavit domum ire, quia scivit, quam lentus esset nuntius. Eo demum tempore, cum ultima merges vehibus imposita esset et ventis repentinis tonitrua et fulgura indicata essent, Christina praedam suam approperavit, quam sibi confirmatam esse putavit. Eadem domum iens ominose annuit nonnullis sibi obvenientibus, illi sibi annuerunt, celeriter nuntium domum tulerunt; tum tremuerunt nonnullorum genua, nonnullae animae repente angore correpti orare voluerunt, sed non potuerunt.

Intra, in cubiculo, misera mulier quiribat, cui minutae videbantur esse aeternitates, neque avia poterat gemitum finire orando et consolando. Quae ianuam cubiculi gravibus supellectilibus obstructam bene clauserat. Dum domi ambae fuerunt solae, pavorem sustinuerunt; sed miserae mulieres Christinam videntes domum redeuntem, audientes ad ianuam eius gradus submissos, audientes alios quoque foris gradientes et clam susurrantes absente sacerdote ulloque alio homine fideli, en videres quanto in angore essent quasi natarent in oleo aestuanti, et ope et spe carentes. Audiebant Christinam non cedere a ianua; misera mulier per ipsam ianuam sentiebat gloriis suae efferatae oculos igneos, ut uterentur corpus et anima sua. En primos vagitus infantis vitam annuntiantes per ianuam auditos, quam celerrime suppressos, sed nimis sero. Ianua raptim aperta est saevo ictu praeparato; Christina, ut tigris in praedam se proripit, sic se proripuit in miseram puerperam. Anicula, cum procellae invadentium se obiecerit, prosternitur, puerpera sancta sollicitudine materna corpus e lecto corripit, sed idem infirmum collabitur, infans est in manibus Christinae; atroci clamore ex intimo corde sublato matris anima deficit umbris nigris obvelata.

Christina cum infante egressa viri correpti sunt pavore atque formidine. Sucurrit quidem iis suspicio fortunae formidulosae, sed nemo ausus est facinus prohibere, magisque timuerunt calamitates diaboli quam Deum. Sola Christina non timuit, fervida facie tam lucida quam victoris, qui pugnam superavit. Quae sibi videbatur ab aranea palpari leni titillo; fulgura, quae coruscabant circa se in via ad acclivitatem ecclesiasticam ferenti, laeta lumina sibi videbantur, tonitrua esse murmura blanda, tempestatem rabidam esse lenem auram.

Iohannes, miserae mulieris maritus, promisso suo perquam bene steterat. Lente via progressus erat, otiose omnem agrum intuitus, omnem avem oculis secutus, moratus spectans pisces saltibus culices capientes, usque

dum tonitrua ingruerent. Tum instigatus est, ut progredere; celeribus gradibus processit prosiliturus; animo eius aliquid infuit, quo ageretur, quo capilli in capite eius horrerent: quod fuit conscientia, cuius morsu cognosceret, quid mereretur pater, qui prodidisset uxorem infantemque. Nam adhuc ei insedit amor uxoris et fructus corporis sui. Sed tum alia re retentus est, quae priore fortior erat, timor enim hominum, timor diaboli et amor eius rei, quam ille sibi potuit auferre. Tum iterum lentius processit, tam lente quam homo ultimum iter faciens ad locum supplicii capitalis. Fortasse revera ita fuit, praesertim cum haud pauci homines nesciant se ultimum iter facere; nam si scirent, aut non facerent aut aliter.

Sic hora processerat, dum Iohannes advenit Sumisvaldam. Nubes nigrae super Montem Mynnium rapide volitabant, graves guttae cadebant et pulvere restinguebantur, in turri campanula sono fusco monebat, ut Deum recordati precarentur, ne tempestatem redderet iudicium de se faciendum. Sacerdos autem stabat ante domum suam, paratus ad omnia officia praestanda, si a Domino suo super caput suum invehente vocaretur ad morientem aut ad domum ardentem aut in alium locum. Iohannes conspexo intellexit se vocari ad gravem rem curandam, veste succincta iussit nuntiare sacristae campanam sonanti, ut restem campanae alii traderet et adveniret ad se comitandum. Interea Iohanni apposuit potionem recreabilem, ut post cursum rapidum in aere aestuoso factum vere reficeretur; qua potione Iohannes non eguit, sed sacerdos non suspicatus est illum dolose agere. Iohannes potione cunctanter se recreabat. Sacrista autem tarde advenit et libenter particeps erat potionis sibi a Iohanne praebitae. Sed sacerdos ante eos stabat paratus aspernatus potionem, qua non eguit ad tale iter talemque pugnam faciendam. Haud libenter rogavit, ut desisterent a cantharo, quem apposuerat, haud libenter violavit iura convivae, sed cum novisset ius, quod altius erat iure convivarum, sacerdoti bilem movebat potio cunctabunda.

Se esse paratum denique dixit, se exspectari a muliere sollicitante, cui superesset facinus formidulosum, sibi quoque armis sanctis sistendum esse inter mulierem et facinus ideoque illi ne cunctarentur, supra certe fore aliquid ei, cuius sitis infra non expleta esset. Tum Iohannes, mulieris expectantis maritus, dixit festinato non opus esse, ab uxore sua omnia lente fieri. Mox autem fulgur illuxit cubiculum, ut omnes obcaecarentur, superque tectum tonitrua tonare coeperunt, ut omnis postis ad domum, omne membrum in domo tremere. Tum benedictione finita sacrista: "Audi", inquit, "qualis tempestatem foris sit et quomodo caelum ipsum confirmet verba Iohannis, nobis exspectandum esse. Quid prodesset, si

proficisceremur, non adveniremus superstites. Is ipse dixit non properato opus esse propter uxorem suam."

Sane ingruere tonitrua et fulgura, qualia ex hominum memoria haud saepe fiunt. Impetus facti sunt ex omnibus praeruptis profundisque, impetus undique, omnium ventorum supra Sumisvaldam coactorum, omnis nubes facta est exercitus bellicus, una nubes infesta incurrit in aliam, una nubes aliam occisura, inceptum est nubium proelium, tonitrua fiebant, fulmina iterum iterumque disiungebantur, iterum iterumque iaciebantur in terram, quasi permeatura mediam per terram ad alterum terrae latus. Nec desinebant tonitrua mugire, procella ululabat furiose, disruptum est gremium nubium, deiecta est aquarum maxima vis. Proelio nubium tam repentine exorto sacerdos sacristae neque responderat neque conederat, subiit animum eius sollicitatio, quae magis magisque augebatur, impetu captus est se in elementa furentia proripiendi, sed comitum causa cunctabatur. Tum sibi visus est per tonitruum vocem horribilem audire mulieris quiritationem, qua ossa percuterentur. Tum subito intellexit se cunctatum tonitribus a Deo terribiliter increpari, profectus est, nihili faciens verba aliorum. Ad omnia paratus ingressus est in tempestates ardentissimas, in procellas saevientissimas, in nubium aquas abundantissimas; ceteris lente atque inique sequentibus.

Venti fremebant, strepebant, aestuabant, quasi instrumentis horum sonorum in unum confusis fieret tuba ultima, qua nuntiaretur interitus mundi, in vicum decidebant mergites igneae, quasi omnis casa esset accendenda; sed minister illius, qui vocem dat tonitribus servumque habet fulmen, non debet timere conservum eiusdem domini, et qui ingreditur vias Dei, bono animo vitam suam committat tempestatibus divinis. Itaque sacerdos intrepide per tempestates accessit acclivitatem ecclesiasticam, arma sancta secum tulit, cor eius fuit ad Deum. Sed ceteri non simili fortitudine secuti sunt, nam cor eorum non fuit in eodem loco; noluerunt descendere per acclivitatem ecclesiasticam, ipsa in hac tempestate, ipsa in nocte intempesta, Iohanni autem specialis causa fuit, qua nollet. Rogabant sacerdotem, ut reverterentur, ut aliis viis ingrederentur, Iohannes noverat propiores, sacrista meliores, ambo monebant aquarum in valle redundantium, pratorum inundatorum.


Nicolaus Gross

(Narrationis pars quarta in proximo libello sequetur!)

De ciconiis et decore et terrore

vici Hispanici Malpartidae

Ciconiae albae in periculo sunt, quod regiones ad vivendum eis aptae ab hominibus magis magisque minuuntur. In Europa media homines quoque anno tempore vernali adventus primarum ciconiarum revertentium solliciter expectant et magno cum gaudio salutant. Paucis civitatibus in Alsatia vel in Germania septentrionali et ad orientem vergente licet 'magistrum Adebar' - ut ciconia apud nos nonnumquam dicitur - in muros suos accipere.



Aliter in Hispania res se habet: Ibi ciconiae frequentissimae totius Europae vivunt. Nidi proprii earum magnitudine carri rotarum vel in tectis vel in ecclesiarum turribus positi aspectum solitum praebent.

Omnes cumulos autem parva civitas Malpartida Castrorum Caecilliorum (Malpartida de Cáceres) in Extremis Durii (Extremadura) sita superat. Ibi pro quinque incolis humanis una ciconia vivit. Invasio autem anniversaria illarum avium colore albo-nigro et beccis rubris illius vici incolis 2500 numero non solum gaudium et decus, sed etiam terrorem nonnullis eorum affert.

Nihil enim a magistro Adebar tutum est: Dominae Isabel Lancho aves vestimentum perdiderunt, domina Maxima Pedrera telespectare non iam potest, ex quo familia ciconiarum in eius patina ad transmissiones televisificas, quae satellitibus facticiis ex universo emittuntur, accipiendas (Theodisce 'Satellitenschüssel' dicitur) suum nidum extruxit. Et non multum aberat, quin sacerdos vici, Roman Robledo, nido ponderis 300 chiliogrammorum de aliquo tecto decidente occisus esset.

Die Dominico in ecclesiam euntes vel tabernam petentes vix effugere possunt, ne aves eleganter volantes merda deiecta vestes dominicas eorum inquinantes perdant. Nonnulli incolae velut illa mulier, cuius in tecto undecim nidi ciconiarum sunt, timent, ne pondere tecta corruant.

Parti illorum, qui ciconiis favent, magister civium Antonio Jimenez praeest. "Alii liberales sunt", inquit, "alii cottidie queruntur." Peregrinantibus, qui casu in illum parvum paradisum ciconiarum veniunt, magno cum gaudio documentum a societate circumiectorum tutelam curante (Nomine Anglico: European Heritage Fund) praebitum monstrat, quo Malpartida de Cáceres 'Urbs ciconiarum Europaea' appellatur. Magister civium hebdomadam ciconiarum, qua certamina photographematum ciconiarum et alia incepta habentur, instituit. In domo culturali vici ducentas imagines ciconiarum ex variis terris Europae monstrantur.

Quamquam Malpartida antiquitus regio ciconiis grata est, causa impetus illorum captatorum ranarum nostra aetate non plane manifesta esse videtur. Nam numerus ciconiarum semper augetur: Cum novissime numeratae sunt, earum numerus 534 fuit. Ornithologus Lorenzo Corrales opinatur id fieri propterea, quod agricultura in ea regione valde recessit et itaque simul usus insecticidiorum et pesticidiorum, quae antea ciconiis periculosissima fuerant, minutus est.

Maxime autem aves depositorio purgamentorum capitis provinciae prope vicum sito allici videntur. Ibi ciconiae copiosa alimenta inveniunt, ut nonnullae earum non iam iter molestum in Africam suscipiunt, sed in vico Malpartida hiemare praeferunt.

(Fons: Acta diurna Bernensis 'Der Bund', die 4 mensis Augusti 1997)

Daniel Weissmann

De ebrietate

Nihil aliud est ebrietas quam voluntaria insania. Alexander, Macedonum rex, Clitum, carissimum sibi et fidelissimum, inter epulas transfixit, et, intellecto facinore, mori voluit. Certe meruit! M. Antonium, virum optimum et ingenii nobilis, quae alia res perdidit quam ebrietas? Haec illum hostibus suis imparem reddidit, haec illum crudelem fecit, nam sibi cenanti capita principum civitatis afferri iussit, et inter apparatusissimas epulas ora ac manus proscriptorum agnovit: vino gravis sitiebat tamen sanguinem. Saepe vinolentiam pessima sequitur crudelitas.

(secundum Senecam philosophum)

Barbara Maier



De cerevisia monachorum

Prima vestigia cerevisiae a monachis paratae in Hibernia inveniuntur. Monachus Hibernus nomine Columbanus sexto p.Chr.n. saeculo vitam agens non solum quasdam partes Galliae fide Christiana donavit, sed etiam arte cerevisiae coquendae delectavit. Auctores chronicarum narrant Columbanum comitesque eius et homicidium et adulterium et cerevisiae effusionem voluntariam in numero peccatorum capitalium habuisse. In Europa domus prima cerevisiam parans monasterium Sancti Galli (vel Gallopolis) in Helvetia situm erat. Ibi monachi iam initio saeculi noni genera tria cerevisiae parare solebant: cerevisiam qualitatis optima ad usum monachorum, cerevisiam qualitatis modicae ad usum peregrinatorum, cerevisiam egregiam ad usum hominum magno loco natorum. In urbe ille, cui hodie nomen 'Luzern' est, cerevisia prima initio decimi saeculi quarti apparuit. Nonnulli scriptores narrant agricolam monasterio Sancti Benedicti hac in urbe sito modo vectigalis avenam quandam granum cerevisiae nominatam apportavisse. Aetate nostra semper haud pauci monachi cerevisiam coquunt velut in regionibus superioribus Germaniae, exempli causa prope urbem nomine Castra Regina (Regensburg), ubi monasteria quinque artem cerevisiae coquendae maximo in honore habent.

Vivat cerevisia

Cerevisiam bibunt homines,
Animalia cetera fontes.
Absit ab humano gutture potus aquae.
Sic bibitur in aulis principum.

(secundum libellum: 'Duodecim cantus Latini', M. Lavarenne)

Barbara Maier

Lingua Latina etiam in substraminibus cervesariis vivere hoc exemplo demonstratur:



- Subnoto RVMOREM VARIVM, ut ipse accipiam (Ich abonniere RVMOR VARIVS für mich selber)

_____ <-----

- Subnoto RVMOREM VARIVM DONO DATVM ei, cuius inscriptio cursualis supra indicata est (Ich abonniere RVMOR VARIVS als Geschenkabonnement für jemanden, dessen Adresse oben angegeben ist:)
- Factura subnotationis mittenda est ad inscriptionem cursualem infra indicatam (Die Abonnementsrechnung ist zu senden an:)

Ort, Datum: _____

Unterschrift: _____

Hier bitte frankieren


RVMOR VARIVS
c/o aeschlimann
publicity
Stadthausstrasse 65
CH-8400 Winterthur

PP/Journal

4702 Oensingen

4/97

IDIBVS NOVEMBRIBVS
MCMXCVII



RVMOR VARIVS



TOMVS 20

FASC. 120